

DE RE PAROCHIALI CONTENTIO INTER TON- GERLOAM ET AVERBODIUM SAEC. XIV.

Non recordor quisnam fuerit eruditus ille, qui scripsit vel dixit historiam Ordinis Praemonstratensis totam contineri in duobus voluminibus Monasteriologiae quam edidit clarissimus C. L. Hugo, nec opera pretium fore in ulterioribus defatigari inquisitionibus. Sed quantum erraverit doctus ille vir patet ex tot documentis quae deteguntur quotidie et nova claritate laetos aequae ac luctuosos eventus Praemonstratensium illuminant. Utique si haberemus collectanea capitulorum generalium, et praesertim relatoria quae visitatores, per illa capitula in varias circarias destinati, de sua inquisitione ad ipsum capitulum quotannis referebant, tunc essentialia circa evolutionem internam et externam Ordinis possideremus. Attamen multa adhuc nos laterent quoad influxum in oeconomicam et socialem organisationem juxta regionum diversitatem, quae tandem erui tantummodo possent ex monographia singularum abbatiarum.

Sed, eheu ! fortuna illa qua gaudent Cistercienses non fruuntur Praemonstratenses. Pauca equidem de dictis relatoriis supersunt et adhuc latent sub pulvere archivi Suessionensis civitatis ¹⁾, nec tempus istud « criseos » universalis permittit quatenus exsurgat mecenas, qui ad eruenda illa reliquia Ordinis necessaria media suppetit ! Interim non pauci ejusdem Ordinis zelatores laboriose inquirunt et colligunt undequaque fragmenta, ne pereant.

Fragmentum sane, sed aliqualis momenti judicaverunt editores « *Analectarum* » textum quem edidi in periodico « *De Zuiderkempen* » ²⁾, quo nova quaedam ad laborem parochialem Praemonstratensium in hisce regionibus afferuntur simulque indigitatur quantopere jam, in principiis saeculi XIVⁱ, ad abbatem capitem Ordinis recurrerant alii abbates in suis necessitatibus, tempore mediante inter capitula generalia. Propterea denuo in istis paginis edi voluerunt.

1) *Bibl. municipale de Soissons*, Ms n° 8.

2) *De Zuiderkempen*, 2° Jaarg. (1933), blz. 38 vl.

Ad meliorem intelligentiam textus sufficiant sequentia :

Circa annum 1330 litigabant Tongerloa et Averbodium ad obtinendum jus patronatus in bina ecclesia parochiali de Oostmalle et de Veerle, haec ultima utrique abbatae sat vicina et in qua ambae non spernendas possessiones temporales obtinebant. Tunc temporis jus illud spectabat ad episcopum Cameracensem. Iste magis favebat Averbodiensibus et in eorum monasterium jus suum transtulerat diplomate anno 1329 dato. Contra toto nisu contendebant Tongerloenses, adiutorium nacti capituli Cameracensis itidem partem saltem in praefatum jus praetendentis, quodque diplomate a^o 1332 Tongerloam transmisso vehementer asserebat.

Interim, nisi fallor, documentum annexum abbas Tongerloensis redigi curavit et verosimiliter etiam abbati generali transmisit, ipsius interventionem contra praetensiones Averbodii petens. Octo rationibus stabilire conatur abbas Tongerloensis quod prae Averbodiensibus ad hoc jus patronatus admittendus sit. Quidquid sit de valore hujusmodi ratiocinationis, ex ipsa liquet quantopere monasteria nostra in adipiscendo jure patronatus adlaborabant simulque apparet ipsos ad curas parochiales deserviendas operositatem suam quam maxime extendisse.

Jam vero utrum abbas Praemonstratensis ad petitionem Tongerloensem attenderit, suamque ad illum finem auctoritatem interposuerit necne, hucusque nos latet, tacentibus documentis utriusque monasterii. De facto autem jus patronatus in ambas dictas ecclesias per episcopum in Averbodium translatum, huic abbatae remansit per plura saecula.

Conceptus istius petitionis protestativae, de qua agitur, textus, invenitur in rotulo quodam membraneo asservato in archivo Tongerloensi, et confecto ex duabus petiis simul consutis, extendendo se in longitudinem 630 mm. et latitudinem 16 mm. Praefert litteram quo illo tempore utebantur eadem corrente manu nitide conscriptam, praeterquam in ultima paragrapho quae est alterius calami, probabiliter ipsiusmet abbatis. Humiditate corruptus textus hinc inde illegibilis vel quasi invenitur. In dorso habetur littera contemporanea exarata haec nota : *De Verle*; posteriori tempore additum est : « *et Mal* » (Oostmalle). Saeculo XVII^o inscriptum fuit : « *pronunciatio* » (sic).

fr. J. J. EVERS, O. Praem.

ANNEXUM

Ad illum finem, quod in permutatione facienda inter reverendum in Christo patrem..., dominum... episcopum Cameracensem ¹⁾ et venerabile capitulum ecclesie Cameracensis, ex una parte, et religiosos viros... abbatem ²⁾ et... conventum ecclesie Tongerlensis, Premonstratensis ordinis, dicte Cameracensis diocesis, ex altera, cui permutationi se ingerit et impedire nititur dominus... ³⁾, abbas Averbodiensis, Leodiensis diocesis, preferendi sint Tongerlenses Averbodensibus antedictis, de *jure*, equitate pensata, pro informatione vestra, reverende pater et domine Premonstratensis ⁴⁾, causis et rationibus infrascriptis, quia vos, reverende in Christo pater predictae, divina dispositione ad curam, regimen et ordinationem ecclesie Premonstratensis, tamquam capitis, et aliarum ecclesiarum ac monasteriorum dicti Ordinis vobis subditorum, vocati, paterna sollicitudine — quod ipsum nomen abbas sonat — intendere ^{a)} habeatis et intenditis, et cujus ipsa cura etiam juxta nominis ethymologiam cor uritur ut utiliora et meliora vestris subditis prospiciatis, videre et pensare habetis cui videlicet ecclesie, an Tongherloensi vel Averbodiensi dicta permutatio datur utilis et profutura et, hoc viso, votis annuere majori utilitati innitentium. Quod autem dicta permutatio ecclesie Tongerloensi quam Averbodiensi magis sit utilis et profutura, apparet ex subsequentiis evidenter :

I. — Primo, quia in rerum permutatione est paritas seu equalitas attendenda et considerata et in habentibus symbolum facilior est transitus. Cum igitur dicti Tongerlenses, qui immediate subsunt ^{b)} ecclesie Cameracensi, procurationes et alia episcopalia jura solventes temporibus opportunis, dicto domino... Cameracensi, qui et ipsis tamquam filiis potius quam aliis thesaurisare tenetur secundum canonicas sanctiones, habent et pleno jure ac titulo justo possideant, infra dictam Cameracensem diocesim, nedum unam verum etiam plures ecclesias tam curatas quam altaria competenter dotata, Averbodienses vero, qui non solum extra Cameracensem diocesim, verum etiam extra provinciam Remensem, dicte Cameracensis ecclesie me-

a) Hic perforatum invenitur pergamenum.

b) Syllaba *sub* desuper scripta invenitur.

1) Guido III, de Bolonia, a° 1324 episcopatum adeptus est.

2) Quisnam fuerit, ex chronologia abbatum Tongerloensium non plane patet.

3) Joannes Beckers de Lovanio (1311-1354).

4) Adam de Wasignies vel Joannes de Châtillon (1327-1339).

tropolitanam, cum omnibus suis ecclesiis et beneficiis commorantur, in nullo debitores hactenus ecclesie Cameracensi existant, nec habeant aliquod jus patronatus in aliquibus ecclesiis Cameracensis dyocesis, quo possent permutationem ecclesiarum de Verle et de Oestmalle debite compensare;

2. — Item, si Averbodienses haberent seu detinerent aliqua alia bona seu possessiones infra dictam Cameracensem diocesim, de illis non possent facere permutationem pro dictis ecclesiis cum episcopo Cameracensi, ex eo quod dicta bona eis libere non cedant nec dominium habeant in eisdem, nec possunt in alium transferre, et permittantur est rem alienam suam facere; et posito quod de facto hoc facerent, posset eis ex hoc magnum prejudicium generari, cui super hoc per vestrum officium est precavendum, quia tutius est ante tempus occurrere quam post causam remedium querere vulneratam;

3. — Item, circa permutationem et translationem spiritualium nedum de eo quod viciosum est, sed etiam de eo quod vicii speciem habere videtur, vitari et cessari debet; cum non solum a malo, sed ab omni specie mali apostolus precipiat abstinere. Dictus vere abbas Averbodiensis, salva sui gratia, quantum est in se, vel forsán suis, per illicita ad huiusmodi permutationem nititur pervenire, quod in personis religiosis est maxime reprobatum, quos precipue decet puritatem in suis actibus exercere. Ex fama publica referente de denunciante clamore valido, qui sine gravi scandalo pertransiri non potest, ex parte ipsius abbatis Averbodiensis pro sua voluntate in dicta permutatione obtinenda plura et varia dona et promissa temporalia, que illicita esse dicuntur, intercesserunt. Et si dictus abbas Averbodiensis dictam permutationem forsán tamquam licitam appeteret, ad eam tamen non est illicite et malo medio veniendum.

4. — Item, si in premissis non esset ex parte ipsius abbatis Averbodiensis in aliquo oberratum, nec ipsi abbati Tongerlensi in aliquo detractum, nihilominus tamen ipsi Tongerlenses ipsis Averbodiensibus ex honestate et equitate preferendi sunt in dicta permutatione, cum hoc negotium cum dicto domino episcopo Cameracensi per abbatem Tongerloensem primitus fuerat inchoatum et occupatum, eo quod idem dominus episcopus fieri mandavit inquisitionem ad instantiam ipsius abbatis de Tongerlo super valore, conditione et statu rerum permutandarum, cui permutationi dictus Averbodiensis abbas indebite se ingessit et ambitiose, et eandem permutationem nondum factam, in dicti... abbatis Tongerloensis grave prejudicium, dampnum, injuriam et gravamen impedivit surrepticie;

5. — Item, etsi dictus abbas Averbodiensis cum dicto domino...

episcopo super dicta permutatione convenire posset quantum in eis est, ipsa tamen permutatio sortiri non debet effectum, cum capitulum Cameracense non consentiet nec consentit huic permutationi, propter varias causas quas sibi et ecclesie Cameracensi credit prejudiciales, specialiter quia ecclesia de Verle est contigua finibus et limitibus diocesis Leodiensis, infra quam abbas Averbodiensis moratur, per quam hujusmodi limitum confusio fieri posset. Sed *cont...* ^{c)} *permutationis* faciende cum abbate Tongerlensi....., in hoc prospiciatur utilitati et indemnitati ecclesie Averbodiensis, per vestrum officium est hiis precavendum benignitate paterna;

6. — Item cum alias dictus abbas de Tongerlo, de dicto Averbodiensi abbate tamquam de suo fratre spirituali ac speciali fideli amico confisus, ipsum super quadam alia permutatione facienda cum domina comitissa Juliacensi, de ecclesia de Sittert ¹, per religiosum virum Henricum, canonicum ecclesie Tongerlensis, germanum dicti abbatis Averbodiensis ac fratrem Johannem de Oestrout, dictum Ph...., per dictos duos fratres ab ipso dicto abbate responsum habuit, quod dictam permutationem laudabat et commendabat pro dicta ecclesia Tongerlensi, et quod ad hoc sibi prestare vellet fideliter consilium, auxilium et favorem, et hiis sic dicto abbati Tongerlensi remandatis, dictus Averbodiensis abbas clam et surrepticie dictam permutationem, jam ex toto pro abbate Tongerlensi concordatam cum dicta domina, per mediatores prece precioque corruptos illicite sibi a dicta domina comparavit, et postmodum, quod pejus est, ab ipso comite Juliacensi, nepote et herede dicte... comitisse, qui tamquam ex causa venditionis dicte venditioni tamquam proximior heres se opposuerat, postmodum mediante magna pecunie quantitate redemit; et etiam aliquam aliam permutationem de quodam armigero de Vorst ⁵⁾, modo quasi consimili Tongerlensibus antedictis surripuit prout nunc, quasi hujusmodi supplantationes ducens in usum, tertia vice hanc permutationem, de qua nunc agitur, illicite dictis Tongerlensibus nititur auferre, non parcens illicitis laboribus vel expensis, quarum tamen trium ecclesiarum nullius fructu adhuc gavisus est vel gaudet possessione : quare, cum deceptis et non decipientibus jura subveniant, et abbas Tongerlensis, ut supra deceptus

c) Loca hic ex humiditate illigibilia penitus indicantur.

5) Zetrud-Lumay in prov. Brabantia prope Thenas, et Vorst Sanctae Gertrudis in Campinia meridionali, non longe ab Averbodio, duae ecclesiae parochiales in quas Averbodium jus patronatus obtinuit, ultimamque usque nunc per suos religiosos administrat.

sit pluries ab ipso abbate Averbodiensi, supplicat abbas Tongerlensis contra dictum abbatem Averbodiensem sibi sic decepto nocenter per vestrum officium subveniri et sue innocentie condescendi;

7. — Insuper, ad ea que ex parte Averbodiensis abbatis forsitan allegari vel opponi possent, quod dicti Averbodienses habent et possident in parochia de Verle plura bona, decimas, possessiones et alia, et quod, si Tongerlenses prevalerent in dicta permutatione verisimiliter timeri posset de futura discordia et rixa inter dictas Tongerlensem et Averbodiensem ecclesias, et quod dicta parochia de Verle est magis contigua seu propinqua dicte Averbodiensis ecclesie et potius ipsis conveniens, respondent dicti Tongerlensis quod, salva reverentia hec dicentium, dicta ecclesia de Verle est parrochialis loci et mansionis de Donghen, in quo loco et infra quam parochiam de Verle dicti Tongerlenses plura bona, agros, prata, pascua et alia et ampla obtinent, estimata communi estimatione ad summam XV librarum grossorum turonensium annuatim. Et etiam dicta parochia de Verle se extendit undique ad bona et possessiones ecclesie Tongerlensis, videlicet, ex una parte ad parochiam de Westerle, in qua habent dicti Tongerlensis jus patronatus, decimas et alia bona multa; ab alia parte versus villam dictam... ^{a)} *in qua omnia lactinia butiris, casei et alia quibus toto anno sustentatur ecclesia Tongerlensis sibi procurat*; ex tertia parte versus villam de Hamme, que est merum allodium ecclesie Tongerlensis, infra et per que bona dicta ecclesia de Verle est velut circumvallata;

8. — Item, ne quis arguere vel allegare valeat contra premissa dictum Tongerlensem abbatem proterve aut pertinaciter processisse contra Averbodiensem abbatem, sciendum est quod nuper ^{d)} premonstratens... congregatis, requisivit eosdem cum instantia abbas Tongerlensis, ut ipsum Averbodiensem abbatem rogarent quod de omnibus eisdem prefatis credere vellent, rationibus in scriptis eis porrectis, et quidquid ipsi vel sanior pars eorum de premissis diffinire vellent, firmiter observarent, seu capitulo ecclesie Cameracensis, ad quod proprietas dictarum ecclesiarum permutandarum pertinet, transmittentur diffiniendum; quibus dictus abbas Averbodiensis expresse renuit consentire.

Et premisse, que sunt notaria atque vera, vel aliqua eorum, dictus abbas Averbodiensis recognovit competenter.

d) Suspicio hic legendum fore : *abbatibus premonstratensibus Brabantiae in unum*; sed quia talis congregatio abbatum unius circarie vel regionis tunc temporis inusitata videtur, non ausus sum hoc certificare.

Quibus rationibus et alias, per vos, reverende pater, de jure sup-
plendis, et ut commodius *precaveatur* importunis laboribus et ex-
pensis, petit et supplicat omnibus melioribus modo et forma quibus
melius potest dictus abbas Tongerlensis, pro se et ecclesia sua, per
vos et vestram diffinitionem sive decretum contra partem adversam
pronuntiari dicto abbati Averbodiensi super premissis perpetuum
silentium imponi et ipsum abbatem Tongerlensem in permutatione
predicta debere preferri et, non obstante impedimento dicti... abbatis
Averbodiensis, debere juste consequi debitum effectum permutatio-
nis predictae, et quod justum fuerit circa premissa et ea tangentia
statui et decerni, officium vestrum in hiis humiliter implorando,
salvo sibi in omnibus juris beneficio, offerens se de hiis que facta
sunt vel sufficient de eisdem fidem facere competenter si ea nega-
verit pars adversa.

De e) rationibus suprascriptis non licet de substantia addere vel
diminuere, sed bene licet eas roborari per allegationes juris tam
canonici quam civilis.

e) Quod hic sequitur alia manu scriptum est.